



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 32. Legatorum sententia de suspendendo Concilio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

§. XXXI.

Legatorum rationes pro absolvenda Synodo.

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

Pallav. n. 7.

Cum Legati tam Synodi continuatio-
nem, quam illius dissolutionem impugnassent, demonstratum ibant, quod optimum esset, absolvi Synodum, tam ad fidelium utilitatem, quam ad Ecclesiæ dignitatem: ast dubitabatur, an non obstituri essent Cæsar, & Galliæ, atque Hispaniæ Reges: cum tamen Synodi absolutionem expeterent Lusitanæ Rex, Italiæ Principes, & præcipue Veneti & insuper cum Synodi diurnitatem Galli ex se haberent, nequaquam extra spem esse Concilii absolutionem existimabant Legati.

§. XXXII.

Legatorum sententia de suspendendo Concilio.

His denique addebant, se credere, quod Synodum interrumpere facilissimum foret, ac huic suspensioni acquiescitur essent omnes Principes a bello alieni, & hoc pacto non damnarentur solemniter hæreticorum errores, ac proinde ita neque hi ad ultionem irritarentur, neque illi compellerentur ad arma capeffenda, qui convocatam ad suas petitiones Synodum, ac Religio-
nem

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

nem propugnarent: si vero emendationis leges, quarum potissimum desiderio Principes Synodum flagitaverant, ante illius suspensionem absolventur, & in opus deducerentur, fore existimabant, ut alacres cuncti acquiescerent, interim haud decere putabant, ut Pontifex hujus suspensionis auctor esset, imo nequidem eam proponeret, sed alios audiret, solum impellens Principes, ut illam a Sanctitate sua peterent, ipsemet tamen suum immobiliter animum absolutioni præferret: monebant pariter, quod Cæsar, cum jam annis gravis, & infirmæ valetudinis esset, magnam negotiorum partem committeret Maximiliano Filio suo Romanorum Regi, inter quem, & Hispaniarum Regem, sororis suæ virum, cum intercederet arctissima necessitudo, hinc omni studio curandum, ut Maximilianus bene affectus haberetur, cum vero hic idem exoptet, ut ipsius res cum Aula Romana ex voto componantur, atque ibi in pretio ipse haberi videretur, ideo suadebant, ut tunc, cum ipsius causa juxta sententiam a Legatis Romam transmissam absoluta esset, peculiaris Nuntius ad eum mitteretur tam honoris, quam benevolentiae comparandæ gratia, præsertim cum Delphinus, quoniam Maximilianus a Ferdinan-

dinando parente suo plerumque abes-
set, atque in variis regionibus mora-
retur negotiis cum illo transigendis sa-
tis esse non posset.

Sæcul XVI.
A.C. 1563.

§. XXXIII.

*Legatorum opinio de Reformatione
in quocunque casu perficienda.*

Denique sic concludebant Legati: *Pallav. n. 9.*
„quodcunque demum consilium *Et 10.*
„arripietur, præprimis ad Synodum fa-
„cile terminandam, vel utiliter su-
„spendendam, aut denique ad eam mi-
„nori cum detrimento, & majori cum
„dignitate abrumpendam potissimum
„conferet, si disciplinæ reparatio prius
„stabilietur, hoc autem consilium abs du-
„bio prosperum fortietur exitum, quam-
„primum Patres intelligent, quod Pon-
„tifex velit decreta sanciri pro majori
„suffragiorum numero, tametsi complu-
„res obstarent in rebus ad dogma non spe-
„ctantibus, confecta autem morum e-
„mendatione licet confidentius loqui,
„nec minus etiam de articulo ad Prin-
„cipes laicos spectante fieri poterit, ut
„aliqua iniretur ratio, qua utrique par-
„ti mutuo fieret satis. „ Ceterum Lega-
ti duo capita observabant his verbis I.
„inest quidem nobis auctoritas aliqua,
„& intima amicitia cum Oratoribus, hi
„tamen, cum tradita eis sint specialia
Hist. Ecclesiast. Tom. XLVI. Ii man-